

confecit. Inde Carthaginem ad oram maris Atlantici missus, in illo emporio rudibus et barbaris hominibus ex Africa adductis, et per vim de libertate in servitutem dejectis, se omnesque vitæ suæ rationes, interposita etiam sacramenti fide, plane devovit: quorum ipse unus multa millia salutaribus baptismatis aquis expiavit. Vix autem dici potest quanta patientia et charitate in calamitosissimo illo hominum genere excolendo, et christianis præceptionibus et moribus imbuendo, vir apostolicus per quadraginta et eo amplius continentes annos desudaverit.

R. Honestum.

LECTIO V.

NEQVE eorum animis solum, sed et corporibus opitulabatur assidue. Cum naves ejusmodi mancipiis onustæ in portum appellerent, præsto aderat Petrus, cibum, potum, pharmaca, aliaque necessaria præsidia secum ferens, hominesque miseria et squalore confectos, ceu pater filios, peramanter complectens, nudis vestimenta, esurientibus escam, ægris medicamina

suppeditabat. Lue pestifera, aliisque morbi infectos, nihil de sua vita sollicitus, peculiari cura et ope levabat, visus non raro putrida eorum ulcera studiosius tractare, donec nauseantis naturæ molestiam penitus superaret, dignus inde qui plurimis a Deo charismatum donis ditaretur. Quamplures a medicis desperatos subito sanitati restituit, multis oculorum lumine captis visum reddidit, tres a mortuis excitavit. Pallium quo utebatur, quodque sæpe, alio stragulo deficiente, ægris languentibus quibuscumque imponere, vel substernere solebat, ægrotorum et pessime ulceratorum sordibus licet inquinatum, nonnisi suavissimum odorem efflabat, ejusdemque contactu plures repente ex morbis gravissimis convaluerunt.

R. Amavit eum.

LECTIO VI.

TOT laboribus in mancipiorum cura exantlatis minime fractus, cæteris etiam, qui Carthagine versarentur, civibus advenisque juvandis, hæreticis cum Ecclesia reconciliandis, Mahumeticæ superstitioni addictis, ad Christi

ovile
atque
sunt.
pere
daba
labor
tem
Deu
cum
tati
gina
rigit
ab
lum
ni p
inje
inde
com
uno
sæv
hon
ext
pior
bili
nul
mel
tot
pot
mia
sim
qua
nat
Ma
per
tiur
em
æta
ges
cla
pat
ces